

nihil charius, nihil antiquius esse debet, aliquid capiat detrimenti. Uti enim, per carmina religionem puriorem felicissime disseminatam & propagatam fuisse, scimus; sic periculum est, ne pari ratione etiam disseminentur & invehantur errores. Citius enim influunt, & diutius haerent, quibus a modulatione commendatio accedit. Quod ne hodie fiat, hoc magis metuendum est, quod non desunt hymni, quibus *Chiliasmus*, & ipsa adeo *rerum omnium restitutio*, simplicioribus propinatur.

Thef. XVIII.

Quod restat, veteres, juxta & recentiores, non ad ostentationem, sed Numinis gloriam, & nostram ipsorum salutem, decantemus.

Ex J.

§. I. **M**agnum Cantores inter & Musicos discrimen esse, BOETHIVS, (a) vir harum rerum non imperitus, observat. Enim vero Musicus ordinat & componit cantum, scitque eorum, quæ cantantur, rationem reddere. Cantor, nec discernens Musicam, nec dijudicans, vocem suam flectere quidem, elevare, ac deprimere novit, per *Φθόγγες* & intervalla, sed Musicum Systema, variamque modorum ordinationem, prorsus ignorat.

§. II. Quicquid hujus sit, uterque gravitatem, verecundiamque afferre debet. Hinc CAROLVS, re, nomineque, *Magnus*, valde olim delectabatur cantu Gregoriano, quod

(a) *de Musica Libr. I. cap. ult.*